

CANONVM TOPI-
CORVM

*Pro usu eorum in materiis in primis Theolo-
logicis demonstrando,*

EXERCITATIO II.

de causis in genere

D. O. M. A.

In illustri CASIMIRIANO, quod

Coburgi est,

P R A E S I D E

M. A N D R E A

KESLERO, COBUR-
GO-FRANCO.

R E S P O N D E N T E

JOHANNE CAROLO GANTZHORN

Bundorfâ-Franco.

Instituta

ad diem 8. Maii

horis antemeridianis,



C O B U R G I

Typis Ducalibus Excusa.

ANNO M. D. C. XXIV.

*Excellentissimo & Doctissimo Viro, Viro Eliae Zinckio
Medicinae candidato & physico apud Regiomontanos
ordinario & Promotory & fapitoris suo observando*





V I R I S,

*Antiqua Stemmatis Prosapia, Strenuitate, Do-
ctrinâ & virtute propria Nobilissimo,*

**DN. IOHANNI CHRIS-
TOPHORO TRUCHSES, à Weßhausen in
Bundorff / &c:**

N E C N O N

*Reverendâ dignitate, religiosâ pietate, Doctrina
& virtute insigni præstantissimo.*

**Dn. M. GREGORIO EVVALDO, Pastori apud
Regiomontanos Fr: vigilantissimo, & vicinarum
Ecclesiarum Superintendenti, di-
gnissimo.**



*Dominis, Susceptoris, Patronis, pro-
motoribus ac favitoribus suis submissâ
observantiâ perpetim pro-
sequendis,*

Haec

Studiorum suorum primitias

Humilis & gratus offert

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Johannes Carolus Gantzhorn,



CANON I.



Privativum non est causa positivi. Positivi effectus positiva est causa.

i. Explicatio
Canonis.

Pro intellectu Canonis distinguendum est inter *principium* in genere, & *causam* in specie. Privativum ens potest esse principium positivi, sed non causa.

Sic *privatio* in Physicis principium est generationis corporis naturalis (transmutationis intellige, non constitutionis) verum non est illius causa.

Distinguendum 2. inter id, quod simpliciter positivum est, & inter id, quod simul includit negationem. Hujus posterioris causa potest esse privatio. Sed hinc Distinguendum 3. inter causam generaliter dictam, & specialiter. Privativum potest esse causa generatim accepta seu ratio effectus privationem includentis V. G. vitiosus habitus est aliquid privativum ratione nempe defectus, & est causa seu ratio actionis vitiosæ, quæ itidem includit privationem, defectum nempe & aberrationem à recta ratione. Distinguendum 4. inter causam & id quod habet se instar causæ, seu causæ simile est. Privatio potest esse instar causæ ad positivum, quod simul negationem aliquam includit. Ita apud Metaphysicos *malum* constat tum *materiali*, quod est subjectum, tum *formali*, quod est privatio. Hinc privatio habet se instar formæ, per quam malum est malum, propriè tamen loquendo forma non est. Sic *unum* comprehendit 1. *Entitatem* tanquam materiale. 2. *indivisionem* seu negationem divisionis, quæ est quædam privatio, licet non absolute, ut in Metaphysicâ ostenditur.

Distinguendum 5. inter causam per se positivi, & inter rationem subjecti, per quam hæc est causa positivi.

C 2

Sic

Sic *cæcitas*, licet ex se ut agens non efficiat allisionem capitis, vel lapsum & læsionem, tamen est ratio in homine cæcô, per quam caput aberrando allidit.

Distinguendum 6. inter causam *Physicam*, quæ revera per reale influxum influit in esse causati, & *moralem* vel meritoriam, cui effectus moraliter imputatur. Sic *mors*, quæ est privatio, potest esse causa moralis positivi, ut cum amicus in vitâ servatur, quia ejus loco amicus alter moritur.

Distinguendum est. 7. inter *veram causam*, & inter *antedens*. Privationem sequitur interdum effectus positivus, sed non ut causam. Et hoc modo unius corruptio est alterius generatio. Nam corruptionem V. G. hominis sequitur generatio cadaveris & corporis mixti in animati.

Sic ergò limitamus Canonem: *Quodcunq; est privativum, 1. in quantum est privativum, vel non ens. 2. quod est mera privatio simpliciter, non potest esse causa vera physica positivi, in quantum est positivum.* Et sic probatur axioma, quia effectus non potest excedere prorsus virtutem causæ. Et non entis, uti nulla essentia, ita nullus in alterius essentiam influxus.

Zabarell. l. de region: aër: c. 2. & 5. ita enunciat: *Effectus positivus non potest prodire solùm à causâ privativâ, sed habet causam etiam positivam.* Et inde colligit, frigus, cum sit qualitas positiva, non posse esse à solâ privatione causarum caloris.

Specialior Canon è Scaligero exerc: II. f. 1. formatur: *Nulla privatio est efficiens habitus sui.* Ex quo concludit, raritatem non esse causam densitatis in arcu, cum sit ejus privatio.

2. **Vsus.** VSVS hujus Canonis est. 1. in doctrinâ de merito Christi, & officio ejus Sacerdotali. Dicitur *mors Christi* causa vitæ nostræ, illius paupertas nostrum patrimonium, seu causa nostræ opulentia. Caruit ille propriô, ut nos hæreditatem in Cœlo acciperemus. Siluit ille & obmutuit tempore passionis *Esa: 53. 7.* ut nos contrâ Satanam & omnes hostes spirituales

les loqui possemus. Hic ergo privatio vel habet rationem
medii ad finem, positivam rem, directi, vel efficientis ad fu-
um effectum. Dicendum autem, quod privationes in Chri-
sto sint causae meritoriae positivorum bonorum, quod mors
Christi comprehendat totum meritum, in quo & passiva obe-
dientia, & activa &c.

2. Utuntur hoc Canone Theologi contra Pontificios sta-
tuentes, quod peccatum Originale sit solum absentia & remo-
tio imaginis divinae in homine, tanquam doni supernatura-
lis & externi, quae ablatio se habeat instar privationis ferti aut
coronae prius capiti impositae. Argumentantur autem
ita: *Privativum non potest esse causa positivi. Iam peccati origi-
nalis sunt positiva effecta, peccata nempe actualia. Ergo peccatum
originale non est nuda absentia, remotio, & negatio imaginis divinae
tanquam doni externi, quo ablato natura humana sive hominis na-
tura nihilominus manserit integra; sed simul est corruptio ac depra-
vatio naturae, quae imagini successit.*

2. Contra
Pontifi-
cios.

Occasio daretur hic differendi de concupiscentia
pravâ, de qua ex Canone nostrô Bellarmin: lib. 5. de amission.
grat: & stat: pecc: cap. 15. ita discurret pag: 138. F. Si concu-
piscencia qualitas esset positiva, positivam causam habere deberet.
*Quero igitur quae sit ista causa? Nam vel erit Deus, vel Diabo-
lus, vel serpens, vel homo, vel pomum vetitum. At non Deus, quia
non est causa peccati; non Diabolus, quia qualitatem spirituales pro-
ducere nequit; non homo, quia per unum actum qualitatem perpetuo
haerentem & ad omnia mala inclinantem efficere non potuit: non de-
niq; pomum, quia fuit suâ naturâ bonum.* Nos dicimus, pra-
vam concupiscentiam habere Deum permittentem & puni-
entem, Diabolum instigantem & persuadentem, hominem
deficientem & consentientem, arborem occasionem praë-
bentem.

CANON II.

Non ens non potest esse causa entis.

D 3

Potest

I. Expli-
catio Ca-
nonis.

Potest sic Canon dijudicari ex præcedente, & in exerc: i. etiam ejus mentio facta est: nihilominus propter usum præclarum peculiariter de eo agemus. Pro ejus explicatione prænotandum. 1. *non ens* sumi dupliciter: 1. pro eo, quod simpliciter est nihil, & enti opponitur. 2. pro eò, quod non existit actu, esse tamen & existere potest. Ita *rosa* in hyeme est non ens, quia non existit, futura autem est in vere, inter eà latitat in suis causis, nempe in potentiâ efficientis & materiæ, illius activâ, hujus passivâ. 2. *Non ens* & *ens* possunt dupliciter considerari. 1. ratione sui & absolutè. 2. ratione intellectus. Vnum & idem potest esse non ens ratione sui, ut tamen sub ratione entis ab intellectu concipiatur, seu ut ab homine hoc vel illo pro vero ente habeatur. 3. Etiam hoc notandum, aliquid esse posse vel de se & per se, vel in aliquo intendente & concipiente. Ita *eruditio*, cujus gratia studiosus diligentiam adhibet, nondum est per suam essentiam, est tamen in animo studiosi per intentionem. Ille enim, dum de acquirenda eruditione cogitat, ad diligentiam in studiis excitatur.

His præsuppositis ponimus theoremata. 1. *Quod simpliciter est nihil & non ens, non potest esse causa entis per verum ac realem physicum influxum.* Quod enim prorsus nihil est, in esse alterius influere nequit. Aliàs toto genere causa esset deterior suo causato.

2. *Quod est non ens, concipitur autem ut ens, seu pro ente habetur, potest esse causa entis, sed non per influxum Physicum, verum per modum causæ impulsivæ ac suadentis.* Sic purgatorium est non ens, & nihilominus apud Pontificios immensas Clericis peperit divitias, quoniam in Pontificatu pro ente habetur. Sic *arcana & absoluta Dei voluntas Calvinianorum* est vera non ens, & nihilominus efficit desperationem, quatenus ab homine malè sentiente tanquam ens concipitur. Et omninò quàm plurima fiunt ab hominibus ex errore præcedente, quæ non fierent, eò absente.

3. *Quod*

3. *Quod non est ens actu, nihilominus tamen ens in potentia, & erit actu, illud ratione intentionis in agente potest esse causa entis: sed non per influxum physicum.* Sic soboles futura causa esse potest in homine parsimonix. Annonæ futura caritas causa erat Pharaoni & Iosepho, ut in annis fertilitatis frumentum colligerent *Gen: 41. 35. 36.* Sic in gratiam posteritatis senex arbores plantabat. Futura remotio ab officio causa erat dispensatori injusto, ut convocaret debitores, & eos sibi amicos redderet. *Luc: 16. 3. 4.*

4. *Quod non est ens actu, nec erit actu, concipitur tamen tanquam futurum, illud potest esse causa entis, non tamen per influxum physicum.* Nam etiam imaginationes de futuris, quæ tamen nunquam erunt, in causa sunt, ut aliquid agamus, in primis in genere causæ finalis. Sic multa consilia & actiones suscipiuntur ob certum finem, quibus tamen eventus non respondet. Herodes occidebat omnes pueros in Bethlehẽ, & finibus Bethlehemiticis, quotquot essent bimuli & minores *Matth. 2. 16.* Causa finalis erat sublatio pueri Iesu. Atqui hæc actu non fuit secuta. Mansio Christi mortui in sepulcro causa fuit, propter quam munierunt Iudæi sepulcrum obsignatõ lapide, adhibitis custodibus *Matth. 27. 66.* Nec tamen actu illa causa fuit secuta. Pilatus omnem movebat lapidem in Christi & Iudæorum causâ, non tamen obtinebat, quod volebat & intendebat, nempe Christi dimissionem *Ioh: 19. 12.* Sic in studiis sæpè fines illi intenduntur (honor, divitiæ, honesta voluptas, quies vitæ) qui nunquam vel serò impetrantur. Nempe homo proponit, Deus disponit. Pertinet huc illud Senecæ: *Fortuna homini plus quam consilium valet.*

V S V S hujus Canonis est contra Pontificios. Quæritur, an per thesaurum meritorum Ecclesiæ possimus impetrare remissionem peccatorum. Nos negamus. *Non ens nequit esse causa entis. Atqui thesaurus ille Ecclesiæ Romanae, quem jactant*

2. V s u s
Contra
Pontifi-
cios.
De thesau-
ro Eccle-
siæ.

De justitia operum. *pro indulgentiis Pontificii, est non ens. E. nequit esse causa remissionis peccatorum.* Sic argumentamur contra justitiam operum: *Non entis non est effectus, non est operatio. Legis impletio & bona operâ (perfectè nempe bona) in hac vitâ sunt non ens. E. non possunt justitiam legalem efficere.* Hoc modo concedimus ea, quæ contra Pontificios disputat *Rennecherus in aureâ salutis catenâ c. 12. p. 68.* Illa, inquiens, opera, quæ ipsi Pontificii somniant, neq; sunt, neq; unquam eò modò, quo ipsi putant, proferrî & demonstrari poterunt, & esse possunt. *A re igitur non existente rem aliquam expectare, extrema & ridicula est insania.* Sed in hoc discursu caveatur, ne axioma illud Philosophicum latius ad excludendam fidem ex consilio electionis extendatur. Atq; ita in aliis.

3. ABUSUS
apud Cal-
vinianos.

An quia
fides est in
tempore,
possit esse
causa ele-
ctionis ab
æterno.

ABUSVM Canonis cernere est apud *Calvinianos*, qui ex eo, quod fides in tempore est, & ab æterno non fuit, colligunt, eam non potuisse ab æterno esse causa electionis, quia quod non est, causa entis esse nequit. Ita *Piscator Herborn: in quest: Illustr: Sic idem in Disput: contra Schafmann th: 105.* scribit, *tum, cum factum est decretum electionis, nondum fuisse justitiam divinam violatam, proindè nec meritum Christi, justitiæ læsæ satis faciens, & consequenter nec potuisse esse causam electionis.*

Verùm respondemus 1. Si hæc ratio valet, tum etiam homines non potuerunt ingredi decretum electionis tanquã subjectum, quia ipsi nondum fuerunt. 2. Id quod nondum est actu, nec etiam unquam actu futurum est, potest esse causa alicujus actionis, ut supra dictum est. Cur non ergò multò magis id, quod aliquando actu erit.

3. Id quod non est actu, potest tamen esse ratione intentionis, cogitationis, prævisionis, &c: atque sic potest esse causa entis. Ita prævisio periculi est causa actionis, antequàm actu periculum adsit. Victoria futura est causa præliorum. Prævisio felicitis successus prædicationis Evangelicæ causa fuit Paulo in Macedoniam proficiscent. *Act: 16.*

actu

10. ubi ex viso colligitur futura messis in Macedonia. Illa cum actu nondum esset, movit tamen Paulum, ut poscisceretur.

4. Quid quod Calviniani, si rem exactè velimus expendere, ex propriis hypothefibus fateri coguntur, peccata cum nondum essent, causam tamen fuisse. Quæro enim, quæ sit damnationis impiorum in tempore causa? Respondet *Vrsinus in Catechesi p: 357.* Damnationis causa omninò est in hominibus, nempe peccatum. Vult enim Deus in damnatione reproborum suam justitiam declarare. Non igitur quenquam damnat, nequè damnationi addicit, nisi propter peccatum: & *Tilenus Disput: de prædest: th: 40.* Damnationis propria causa est peccatum. Quæro ulterius, annon ab æterno Deus voluerit damnationem in tempore futuram propter peccata, ita ut secū (humanitus loquendo) constituerit: volo hos propter peccata damnare? Neq; hoc negari potest, cum absurdum sit, Deum facere aliquid in tempore, quod ab æterno facere non constituit. Ergò Deus prævidit peccata ab æterno, & propterea constituit homines damnare in tempore. Ergò peccata ratione prævisionis, cum non essent ratione actus, fuerunt causa. *Sturmius in diatribe de prædest: p: 170. & 171.* scribit: *Duplex causa perditionis impiorum: una proxima, altera remota. Proxima peccatum: remota, voluntas Dei æterna.* Vult hîc Dei volūtatem propter peccata homines reprobos damnare (hæc enim dubio procul mens est ipsius) *Voluntas hæc: Ego te propter peccata damnabo, fanè ab æterno, & intentio damnandi æterna.* Argumentamur: *Propter quam causam in tempore Deus hominem damnat, propter eandem eum damnare constituit. Peccata sunt causa, propter quam hominem Deus damnat in tempore. Ergò peccata sunt causa, propter quam hominem damnandum Deus ab æterno constituit. Ergo ab æternò prævidit Deus peccata, ut propter ea constituerit: Ego hunc & illum &c: damnabo.* Breviter, id quod causa est verbi divini in tempore:

D

EGO

EGO TE DAMNO, etiam causa fuit verbi divini ab æterno: EGO TE DAMNABO.

Reiicimus ergo pronunciatum *Tileni, in Syntagm: Disput: de prædestin: th: 38. p. 148. Æterno nihil temporarium præire, nedum causa esse potest.* Sanè æterno nihil temporaneum actu præire posse nemo iverit inficias. Sed ratione prævisionis idem velle asserere, id verò nimia est audacia. Præivit sanè æterno Dei decreto genus humanum tanquam materia circa quam seu objectum, præivit manifestatio misericordiae & iustitiae, secundum ipsos Calvinianos, tanquam causa finalis, quæ uti notum est, prima est in intentione, ultimâ in executione. *Fines reprobationis, inquit Tilenus th: 55, p. 153. iidem sunt, quæ electionis, gloria Dei & salus electorum.* Benè. Argumentamur. *Quod est causa finalis reprobationis, propter illud Deus ab æterno, quosdam homines reprobat, vi definitionis causæ finalis. Salus Electorum est causa finalis reprobationis, teste Tilenô. Ergò propter salutem electorum Deus homines reprobat. Ulterius. Propter quod Deus ab æterno homines reprobat, illud ipsi præivit.* Firmum! Propter aliquid enim operari requirit illius intentionem, imprimis in agentibus intellectualibus, & motionem appetitus, ut ita loqui liceat. *Atqui propter salutem electorum Deus ab æterno homines reprobat. Ergò. Iam salus electorum sequitur in tempore, atq; ita est temporarium. Ergò aliquid temporarium præivit ei, quod est ab æterno.* Hæc aliquantò latiùs de præsentia materiâ, eò quod tanquam clypeus firmissimus argumentum illud de fide in tempore electionem sequente à Calvinianis opponatur.

CANON III.

Causa non est effectus ejus, cujus est causa.

1. Explicatio
Canonis.

Sensus est, idem ratione ejusdem non esse simul & causam & effectum. Potest autem duplici modo hoc intelligi. 1. De eodem specie. 2. de eodem numerò. Priori intellectu planè fal-

falsus foret Canon, & innumeris exemplis refutaretur, V. G. Homo producit hominem, hic iterum generat hominem: Ignis generat ignē & hic alium, atq; ita in aliis agentibus univocis. Sic virtus & eruditio est causa gloriæ, & vicissim gloria est causa eruditionis ac virtutis. Ita eruditio in Præceptore est causa eruditionis in discipulo, & hæc potest esse causa eruditionis in alio. Quæritur ergò, an idem numero possit esse alterius numero unius, causa, & simul etiam effectum. Sic iterum sensus duplex adverti potest: Aut enim intelligitur quæstio de eodem genere causarum, aut de diversis. V. G. Quæritur, an idem possit esse ejusdem & efficiens & effectum illius tanquàm efficientis: vel, an idem possit esse efficiens ejusdem & materiatum simul, vel formatum.

Vt ὕπερον πρότερον agamus, sit theorema I. *Quod est alicujus causa in hoc causandi genere, potest esse causatum ejusdem in alio.* Probatur hoc exemplo finis & mediorum. Finis est causa mediorum, sed finalis. Media sunt causa ipsius finis, sed efficiens. Ita ergò finis est & causa mediorum & effectum. Honor. V. G. est causa finalis diligentia & studii, ejusdem est effectum tanquàm causæ efficientis. Vbi tamen attendendum, licet unus numero sit finis, tamen diversas in eo esse rationes, secundum quas habet causæ appellationem & effecti, nempe causa est in intentione, effectus est in executione.

Videtur exemplum etiam dari in formâ, quæ possit esse ejus effectum, cujus est forma in disciplinis V. G. *benè ratione uti* dicitur esse & forma Logicæ, & finis ac effectum, secundum regulam: *Finis & forma in operibus naturæ & artis concurrunt & coincidunt.* Verum enim verò si exactè loqui velimus, *ratio uti* non est forma Logicæ, quandoquidem in habitibus imò in accidentibus in genere forma est genus non differentia definitionis. Proindè Logicæ forma est habitus, seu

An idem
ejusdem
possit esse
forma &
effectum.

potius Logica ipsa est tota forma, non verò compositum quid ex materia & forma, benè autem uti ratione vel discurrere est effectus ac finis internus, qui si forma dicendus est, æquivocatio committitur sumto vocabulo *formæ* pro quavis rei perfectione. Finis namq; perfectio rei est, in primis in instrumentis.

Quicquid de hoc sit, non absurdum est, in diverso genere causarum unum idemq; esse & causam & effectum, in primis in illis rebus, quarum principium est voluntas, ut inquit *D. Grauer. p. m. in absurdis c. 5. §. 49.*

Sit theorema. 2. *In eodem causæ genere potest aliquid dici alicujus causa, & effectum saltem improprie & rudi Minervâ.* Probatur hoc exemplò: Prævidet pater filii sui malitiam extremam. Ideò decretum facit de eo exheredando. Hic militia est causa decreti, nihilominus improprie loquendo dici potest ejus effectus, quia est ejus consequens. Prævisa pericula sunt causa & consultationis & conclusionis, tamen improprie effecta ejus dici possunt propter eandem rationem,

Sit theorema 3. *In eodem causandi genere idem quâ idem non potest esse rei ejusdem ut ejusdem causa simul & effectus.* Ratio est, quia implicaretur contradictio eodem respectu accipere esse ab altero, & non accipere, influere in aliud & non influere. Influere aliquid in idem, quia esset causa; nō influere, quia esset effectum, quod absurdum est in Philosophiâ haud ferendum. Servari autem debet ejusdem rei idem respectus. Aliàs idem potest ejusdem rei esse in eodem ordine & causa & effectus. V. G. Verbum & Sacramenta sunt causa fidei ratione oblationis, sunt effectus fidei ratione salutaris usus. Verbum generat in nobis fidem, & hæc efficit salutarem illius usum, ac fructum oblationis producit, quod exemplum habet *Rever: & Excell: Dn. D. Meisn. Præcept: honorand. part: 1. Phil: sobr: s. 1. c. 3. q. 5.*

VSVS

V s v s Canonis conspicitur in doctrina de *Justificatione* 2. V s u s
contra *Pontificios*. Statuunt illi hominem per bona opera co-
ram Deo justificari *Bellarmin: l. 4. de justif. c. 1. Becan. tom. 1.* contra
opusc: 5. c. 1. Orthodoxi contra argumentantur: *Causa ju-* Pontifi-
stificationis non est effectus justificationis, & (vi conversionis sim-
plicis in enunciatione negativâ universali) *effectus justificatio-* An bona
nis non est ejus causa. Atqui bona opera sunt effectus justificatio-
nis. Nam ut *Augustinus* loquitur, bona opera non præcedunt
justificandos, sed sequuntur justificados. Sunt fructus justi-
ficationis *Gal: 5.* Non faciunt ergo justum tanquàm causæ, sed
declarant tanquàm effectus.

Distinguunt quidem *Pontificii* ut *Autores* citati loc: al-
leg: inter justificationem *primam*, quæ sit infusio gratiæ, &
secundam, quæ sit incrementum & augmentum justitiæ, vo-
luntq; bona opera esse quidem consequens primæ justificati-
onis, causam tamen secundæ, non effectum. Verum frustra: An justi-
Nam 1. sermo est de justificatione coram Deo. Coram Deo ria sit du-
autem quicumq; benè operatur, jam justificatus est, ut nullâ plex pri-
aliâ justificatione amplius indigeat. 2. Confunditur justifica-
tio cum sanctificatione, quæ necessaria quidem est, sed debi-
ta, non justificans sed justificatum declarans ut effectus cau-
sam, non sufficiens, sed multis modis deficiens. 3. Vbicunq;
in scripturâ de justificatione coram Deo ex professo agitur,
bona opera ab actu justificandi excluduntur. Confer *Rom: 3.*
Gal: 3. Eph: 2. 4. Proindè scriptura ignorat penitus distin-
ctionem inter justificationem primam & secundam. Datur
quidem justitia inhærens, sed non promerens, non justificans.
Manet proindè firmum argumentum: *Nulla causa sequitur*
effectum suum tanquàm fructus. Bona opera justificationem no-
stram coram D E O sequuntur tanquàm fructus. E. non sunt il-
lius causa.

3. ABUSUS
apud Cal-
vinianos.
An fides
possit esse
electiōis
causa si-
mul & ef-
fectus.

ABUSUS Canonis conspicitur apud Calvinianos. Negant hi fidem esse posse electionis causam, cum sit eius effectum. Ita *Sturmius in diatribe de prædest: th: 5. p. 72. Fides, opera fidei, perseverantia in fide, vita deniq; æterna sunt effecta electionis. Ergò non causa.* Eadem est sententia *Vrsini in explicat. Cateches: p: 358.* ubi meritum Christi fide apprehensum dicit non inter causas, sed inter effecta electionis numerari. Ita *Tilenus in syntagm: disp: de prædest: p. 11.* Hinc patet Deum nequẽ à fide operibusvè electorum: neq; à reproborum àπιστία ejusvè fructibus in prædestinando impulsus. Primum enim ejusmodi ἀρχαίτην non modò non addit Scriptura, ubi hoc argumentum tractat, verùm etiã removet διαπρὸς (Rom, 9. 11. & 11. 5. & 6.) Deindẽ fides effectum est electionis, ἀπιστία verò reprobationis consequens. Ita alii Calviniani omnes: *Causa electionis non est effectus, & effectus electionis non est ejus causa. Fides (uti & meritum Christi) est effectum electionis. Ergò non causa.*

Resp. De ipso Canone jam supra diximus. Applicationem Calvinianam quod attinet, laborat illa non uno modo. Nam. 1. Lutherani non dicunt Deum à fide tanquam causa procatartica impulsus esse in prædestinando, sicut quidem scribit *Tilenus*, sed ad causam instrumentalem fidem referunt, dissertis verbis asserentes, homines non PROPTER fidem, sed PER eam à Deo ab æterno esse electos. Quod si de procatartica causã electionis quærat, est ea miseria humani generis, quam ab æternò Deus prævidit secundum illud Ecclesiæ: *Da jammerts Gott in Ewigkeit / mein Elend vber die maffe.* Videatur *Hunnius p. m. contra Tossan.*

Quomodo fides sit causa electionis,

2. Explicandum est, *quomodo fides sit electionis causa?* Non fanẽ meritoria, non principalis, sed *instrumentalis*, ὄργανον ληπι-κόν, & quidem ratione meriti Christi, quod non nisi per fidem applicatur.

3. Vnde alii Theologi dicunt esse conditionem potius ele-

electionis, alii medium, alii partem ordinis prædestinatorii, nonnulli conjungunt meritum Christi & fidem in unam causam impellentem. Quidam ita loquuntur, fidei intuitum ingredi electionis decretum. Quicquid autem sit de modo loquendi, sufficit, quod, quemadmodum in tempore per fidem tanquam per medium ex parte nostri requisitum Deus justificat & salvat, ita ab æterno nos per fidem salvandos, decreverit. Placent omninò piis verba *Theologiciceleberrimi Hunnii p. m. p. 351. de prædestin. Pacis causa non litigabo cum quoquam, num ad prævertendam libidinem Calvinianorum, qui rectè dicta in alienam sententiam cauteriat à conscientia detorquent, præstet fidem appellare partem illius divinæ τάξιως, sive ordinis, quam Deus æterno decreto suæ electionis inclusit.* Patet autem fidem dici causam electionis non ut actu existentem, sed ut prævisam, sicut lapsus & miseria humani generis non ratione existentia sed ratione prævisionis causa fuit externa electionis.

4. Explicandum est, *quomodo fides sit electionis effectum?* Sanè propriè & accuratè loquendo non esse, ipsimet Theologi nostrates libenter fatentur, dicentes nō exquisitā sed populari locutione fidem effectum electionis appellari. Et quidem adæquatus effectus electionis ideò esse nequit, quia etiam invenitur in iis, qui non sunt electi, licet hoc negent Calviniani. Multi ad tempus credunt, & in tempore tentationis deficiunt. Quomodo ergò fides dicitur electionis effectum. Latè, quatenus in tempore est consequens illius. Inquis. *Ergò salvationis etiam consequens erit fides, tanquam executionis decreti.* Nulla inquam, est consequentia propter hanc causam, quod electio sit ab æterno, salvatio autem sequatur in tempore. Ratione ergò consequentiæ in tempore fidei nō possunt illa duo conferri. Dici igitur potest, fidē prævisam (& quidem perseverantem) esse medium electionis, ab æterno, fidem actu existentem medium salvationis in tempore, effectum autem œconomia sive dispositionis divinæ voluntatis circa salutem nostrā.


Quomodo fides dicatur electionis effectum.

5. Pro-

5. Probent ergò Calviniani fidem accuratè ac Philosophicè loquendo dici posse effectum electionis. Profert *Sturmius loc. alleg.* dicta aliquot, sed ex quibus saltem hoc constat: 1. Deum esse causam efficientem fidei 2. fidem non esse nisi à Deo. 3. fidem esse ovium Christi & electorum. 4. fidem à Deo esse petendam, ex quo tamen malâ consequentiâ colligitur, fidem esse propriè loquendo effectum electionis. Syllogismus foret: *Quod non est nisi à Deo, & ab ipso petendum, est q̄ Christi ovium & electorum, illud est effectum electionis. Atqui fides ita se habet. Ergò. Vbi quilibet videt majorem esse dubiæ fidei.*

6. Interim facilè largimur fidem electionis effectum sano sensu dici posse secundum illud *Rom: 8. 30. Quos prædesinerat, eosdem & vocavit; & quos vocavit, eos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Vnde phrasishæc, *fides est effectum electionis* multoties in scriptis orthodoxorum Theologorum invenitur, eò sensu, qui scripturæ ac veritati conformis est, explicanda & intelligenda, quemadmodum eam ipsi etiam Theologi explicant & intelligunt. Placet adscribere locum ex *Hunnio p. m* admodum clarum in *refutatione thesium Tossani* tractatui de providentia & prædestinatione præmissâ. Verba ita habent. *Quod obiicit Tossanus electionem esse causam fidei, non igitur fidem esse causam electionis: Respondemus in æterno illo Dei proposito considerari duo: quorum alterum est electio personarum, respiciens ipsos homines salvandos. Alterum est & dicitur ordinatio mediorum, per quæ Deus hoc suum de salvandis hominibus decretum executurus erat. Quemadmodum ergo fides pendet à decreto ordinationis mediorum: sic personarum electionem à gratia Dei meritoq̄ Christi, non sine fide considerato, sed per fidem apprehenso dependere certum est. Et post aliquot paginas: Fides effectus est æternæ ordinationis mediorum & c.* Legatur tota refutatio, & facilè constabit, quomodo & causa & effectum decreti divini fides dici possit. Sed hæc larè diducere ad forum Theologicum spectat.

F I N I S.



B.I.G.

Farbkarte #13



3 1624 TM03050

M TOPI-
V M

riis in primis Theolo-
nstrando,
ATIO II.
a genere
M. A.
IRIANO, quod
est,
I D E

R E A
COBVR-
NCO.

DENTE
O. GANTZHORN
Franco.
ta
. Maii
eridianis,

R G I
ous Excusa.
C. XXIV.

ffino Viro, Dno Elia Finchio
physico apud Regionmontanos
non a fapitoriis observando

